

deos penates et patrem duosque parvulos filios, ut quidam tradunt, ut vero alii, unum, cui Iulo cognomen, post etiam Ascanio fuerit, secum extulisse. Qua 4 pietate motos Achivorum principes remisisse, ut re-
 5 verteretur domum atque inde omnia secum, quae vellet, auferret. Itaque eum magnis cum opibus pluri-
 busque sociis utriusque sexus a Troia digressum longo
 mari emenso per diversas terrarum oras in Italiam
 devenisse ac primum Thraciam appulsum Aenum ex
 10 suo nomine condidisse. Dein cognita Polymestoris 5 perfidia ex Polydori nece inde digressum pervectum-
 que ad insulam Delum atque illinc ab eo Laviniam,
 Anii sacerdotis Apollinis filiam, in matrimonium ascitam, ex cuius nomine *Lavinia litora* appellata. Post- 6
 15 quam is multa maria permensus appulsus sit ad Italiae promontorium, quod est in Baiano circa Averni lacum, ibique gubernatorem Misenum morbo absumentum sepultum ab eo; ex cuius nomine urbem Misenum appellatam, ut etiam scribit Caesar Pontificalium
 20 libro primo, qui tamen hunc Misenum non gubernatorem, sed tubicinem fuisse tradit. Inde non imme- 7 rito utramque opinionem secutus Maro sic intulit:

*At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit suaque arma viro remumque tubamque.*

Aen.
6, 232

25 Quamvis auctore Homero quidam asserant tubae usum 8
Troianis temporibus etiam tunc ignoratum.

Addunt praeterea quidam, Aeneam in eo litore 10
Euxini cuiusdam comitis matrem ultimo aetatis affec-
tam circa stagnum, quod est inter Misenum Avernum-
 20 que, extulisse atque inde loco nomen inditum; cum-
que comperisset ibidem Sibyllam mortalibus futura
praecinere in oppido, quod vocatur Cimbarionis, ve-

□